

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. VI [i. e. V]. An in concursu duarum opiniorum æquè probabilium, tutior semper sit eligenda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

## ARTICVLVS V.

An in concursu duarum opinionum eque probabilium, tuitior semper sit eligenda?

**L**ICET hujus difficultatis resolutio ex fundamento jam statutis faciliter haberi possit: eam tamen hic movemus, ut celebrem illam juris regulam, *In dubiis tuitior pars est eligenda*, defendamus, & à recentiorum Caluistarum cavalis vendicemus.

**196.** Dico igitur: Quando in materia morali, quæ subest periculo peccati mortalis, occurunt duas opiniones eque probabiles, tuitior semper est eligenda. Ita docent omnes Authores supra art.

2. §. 2. pro præcedenti conclusione citati.

Probatur breviter ex percelebri illo sacrorum Canonum axiome: *In dubiis tuitior pars est eligenda*, quod defumitur ex cap. *Ad audientiam de homicidio*, ubi dicitur: *Quia vero utrum ex occasione vulneris deceperit, dubium habetur, CVM IN DVBIIS SEMITAM DEBEAMVS ELIGERE TVTIOREM, nos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et in cap. *Significasti* 2. codem tit. habetur quod si discerni non possit ex cuius iactu percussus interierit, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet sacerdos, et si foris homicida non sit, & a sacerdotali officio abstinere; cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare. Idem habetur in cap. *Petitionis* codem tit. & in cap. *Si quis positus, de penit. dist. 7. & in cap. Si quis autem, ubi dicit Augustinus adductus à jure: Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur, quod horum tibi futurum sit, neficio.* ERGO TENE CERTVM, DIM: TTE INCERTVM. Concordat etiam caput *Yovenis* de sponsalibus, ubi dicitur: *In his qua dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. Atqui (jam subluso) qui videt duas opiniones esse æquilater probabiles, dubius est quatenam vera sit: Ergo non potest tutâ conscientiâ quam voluntur eligere, sed debet eligere tuitorem.*

**197.** Ad tam insignem Canonum regulam respondent prius aliqui Recentiores, eam non esse præceptum, sed consilium: cum enim (inquit) quilibet sit in possessione sua libertatis & famæ, non debet in dubiis spoliare se suâ possessione, judicando se culpabilem, aut nexus aliquius obligationis innodatum, cùm secundum aliam regulam juris, *in pari causa melior sit conditio possidentis*. Quam regulam non solum in materia iustitiae, & in foro externo, sed etiam in materia aliarum virtutum, & in foro animæ, locum habere existimat.

Sed contra: Canones allegati non simpliciter consilium, sed obligationem important, ut ex ipsis terminis constat: dicunt enim expresse & absolutè: *Pars tuitior est eligenda. Pars secundior est tenenda. Semitam debemus eligere tuitorem. Quod certius existimamus, tenere debemus.* Et specialiter convincit ratio ab Augustino adducta.

Confirmatur ex cap. *Illud de cleric. excom.* ubi dicitur de rigore deponendum esse Episcopum, qui in dubio ibidem expresso tuitorem partem non elegit: Sed Episcopus de rigore non deponitur, nisi ob culpam mortalem, quam agendo contra præceptum committit: Ergo prædicta regula non est consilium, sed præceptum.

**A** Addo quod ex hac response sequuntur plura inconvenientia satis dura, quæ licet Adversarij respectivè admittant, id est, non omnes omnia, sed quidam aliqua, quidam vero alia, secundum quod ipsis videtur ( quasi eorum iudicium posset esse sufficiens regula ejusdem limitationis ) nullus tamen prudens & timoratus debet se illis committere. Sunt autem hæc:

*Dubitans se excommunicationem incurrisse, non debet se habere pro excommunicato, nec tenetur absolutionem petere.*

*Dubitans an lex imponens penam excommunicationis sit usi recepta, potest judicare non esse usi receptam, & contra legem operari, nec propter ea incidit in excommunicationem.*

*Dubitans an casus sit reservatus, potest ab illo absolvere.*

*Dubitans an commiserit peccatum mortale, non tenetur illud, etiam sub dubio, confiteri.*

*Dubitans an beneficium sit tenue, necne, non tenetur recitare officium.*

*Dubitans de potestate Prelati, non tenetur illi obediens.*

*Dubitans in die Iovis, an transacta sit media nox, potest tutâ conscientiâ comedere carnes; non vero, si in die Sabbathi dubitet. Cujus differentiationem reddunt planè ridiculum: dicunt enim quod in primo casti libertas vescendi carnis stat pro die Jovis, in secundo vero præceptum abstinentiae pro Sabbatho. Posset enim gulosus in sui favorem facile respondere, quod sicut in dubiis melior est conditio possidentis, ita etiam ex alia regula, odiis sunt restringenda, & favores ampliandi: Est autem odiosum dicere, quod aliquis teneatur ad servandam abstinentiam, absque certitudine sue obligacionis. Unde*

*Ad illam regulam juris quam Adversarij nobis opponunt, nempe in pari causa potior est conditio possidentis, dicendum est, eam solum habere locum in materia iustitiae, & in foro judiciali duntaxat, non autem in materia aliarum virtutum: nam in materia iustitiae possessio in dubio favet possessori, in quantum facit præsumptionem quod possessor sit verus dominus; quia upplurimum qui possidet, rem suam & jus suum possidet: quando enim quis rem alienat, solet eam tradere vero dominio, in quem per alienationem transfertur dominium; unde cum aliquis possidet aliquam rem, signum est eam non alienasse, sed ipsis verum habere dominium. At vero in materia aliarum virtutum, cùm possessio regulariter non faciat præsumptionem de veritate pro parte quæ possidet, possessio ei minime favere debet, sed in dubiis in tali materia occurrentibus, regula operandi est, inquirere pro qua parte sit præsumptio veritatis, & haec pars est eligenda: si autem pro neutra parte sit præsumptio, tuitior pars eligi debet, ut pluribus exemplis & regulis juris probat Prosper Faganus super caput *Ne innitaris*.*

Respondent secundò Adversarij, præfatam juris regulam, quæ afferit in dubiis tuitorem partem esse eligendam, debere intelligi de dubio facti, non vero de dubio juris.

Sed fallitas hujus solutionis convincitur ex multis textibus juris, inter quos insignis est ille qui habetur in Clement. *Ex iiii, §. Item quia*, de verb. significat, ubi in quæstione meri juris, an fratres Minores teneantur sub peccato mortali ad ea observanda, quæ in regula verbo impeta-

198.

199.

200.

## DISSERTATIO THEOLOGICA

302

tivi modi negativè vel affirmativè continentur, A Pontifex utitur eadem regulâ dicens: *Nos itaque attendentes, quod in his quæ animæ salutem recipiunt, ad vitandos graves remorsus conscientia, pars securior est tenenda &c.* quia videlicet dubium, sive facti, sive juris, non excusat. Casus enim à D. Thoma quodlib. 8. art. 13. propositus continet dubium juris, non facti; *An scilicet licet habere plures præbendas?* Et tamen S. Doctor concludit, quod si quis in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & manente dubitatione plures præbendas habet, pericolo se committit, & sic procul dubio peccat. Ergo prædicta juris regula, non solum de dubio facti, sed etiam juris debet intelligi.

**201.** Respondent tertio, regulam illam habere locum solum in irregularitate, quia Pontificibus ita statuere placuit in odium homicidij, & propter speciem indecentiam quam ad ministerium factum inducit.

Sed hæc etiam responsio facile diluitur ex lectione textuum citatorum, qui absolute præcipiant ut eligatur pars tutor in omni materia, in qua est periculum peccati mortalis, ut patet ex cap. *Illud de cleric. excom. & ex cap. significasti de homicidio*, ubi Pontifex rationem affigens cur in casu ibi adducto sacerdos potius cessare debeat à sacrificio, quām celebrare, ait: *Cum in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Idem expressè habetur in cap. citato *Iuris de sponsalibus*, ut legenti patebit.

**202.** Denique respondent quidam Recentiores, hanc regulam solum habere locum, quando dubitatur an actio de qua est quæstio, sit mala & illicita; quod non contingit in casu difficultatis propositæ: nam quando aliquis habet duas opiniones æquè probabiles, quarum una afferit actum esse licitum, alia esse illicitum, licet dubitet, quām ex illis duabus opinionibus sit vera, & de illarum veritate mens suspenfa maneat, & veluti in æquilibrio sit posita, nec magis in unam partem quām in aliam inclinata, et tamen ipso quod judicat utramque opinionem esse probabilem, ratione probabilitatis, de rectitudine operationis certificatur; cùm certum sit quācumque probabilitatem, quantumvis tecnuem, ad rectitudinem humanae operationis sufficere.

Sed hæc responsio & doctrina, ex supra dictis confutata manet: Tum quia, ut supra dicebamus, ille qui habet opinionem probabilem quod aliquis actus sit illicitus, habet aliquid majus dubio, nempe probabilitatem de malitia actus, quæ magis accedit ad certitudinem, quām suspicio, vel dubium; unde si, quando aliquis dubitat, an actio de qua est quæstio, sit mala & illicita, tenetur eligere partem tutiorum; à fortiori ad id tenetur, cùm habet duas opiniones æquè probabiles, quarum una afferit actum esse malum & illicitum: Tum etiam, quia supra ostendimus, præfatum dogma, quo Adversarij probabilitatem quantumvis tenuem ad rectitudinem humanae operationis sufficer afferant, non posse certificare intellectum de rectitudine operationis, nec ab ipso omnem dubietatem & formidinem de opposito excludere; cùm illud dubium sit & incertum, & ad summum probabile seu opinabile.

**203.** Quæres ad complementum hujus questionis, quid agendum sit, quando non constat, quæ-

nam ex duabus opinionibus æquè probabilibus sit tutor?

Respondeo, tunc servandas esse regulas à jure præscriptis, quæ sunt istæ:

*In dubioactus valeat potius, quam pereat.*

*Præferendum est quod in regione in qua actum est, frequentatur.*

*Ad probatam consuetudinem attendatur.*

*Vbi contraria extant sententiae, pronuntiadum est pro posse, & potius pro reo, quam pro actore.*

*Quod benignius, quod verisimilius, quod plerumque fieri solet, præferatur.*

*Vbi sunt opiniones discordes, Index sequatur communem.*

*Ad Superiores, vel etiam ad Sedem Apostolicam recurritur. Ut probatur specialiter ex verbis Deuteron. 17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospiceris, & Iudicium extra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem qui fueris illo tempore, & facies quæcumque dixerint, sequerisque eorum sententiam. Quia tamen ut refert D. Ambrosius in cap. *Iudicet 3. qu. 7.* Bonus Index nihil ex arbitrio suo facit, & non domestica proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronuntiat; si etiam respectu ejus res prolus ambigua sit, & non possit eam certò dirimere, debet vel abstinere à iudicio, vel dividere sententiam, propter confictum argumentorum (ut fecit Salomon, cùm judicavit puerum à duabus mulieribus sibi oblatum esse dividendum; licet enim id egerit tentandi gratiâ, erat tamen secundum se conforme reguli justitiae) vel tandem partes ad concordiam reducere, ut latius prosequitur Faganus ex ipso corpore juris, vel ex aliis Juris consultis, in cap. citatum, *Ne innitaris*, num. 231. 233. & 244.*

Ex his regulis & principiis juris confutatum manet perversum novorum Casuistarum dogma, quo afferrunt, stante æquali utrinque probabilitate, Iudicem posse adjudicare rem cui maluerit. Ita Caramuel lib. 3. Theol. moral. num. 1467. ubi agens de litigantibus, quorum neuter rem controversam possidet, ait: *Si aquilis probabilitas sit, potest Iudex rem adjudicare cui mavult.* Tamburinus etiam lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 4. num. 7. licet oppositum doceat, subdit tamen: *Propter extrinsecam bonorum Doctorum autoritatem, afferentium in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare, potest id ut probabile, si velis, amplecti: citatque pro hac sententia Sanchez, & Franciscum Delugo. Addit Fagundes apud Elsobarium tract. 3. exam. 2. cap. 6. num. 11. ipsum in tali casu posse aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat; quia (inquit) stante æquali utrinque probabilitate, potest cuilibet parti dare victoriam: quare datur locus gratificationis, quæ est prelio estimabilis, utpote quæ plerumque cum iactura amicitia alterius parti conjuncta est. Quæ doctrina non solum est falsa, & legibus ac regulis juris repugnans, sed etiam rei publica perniciosa. Nam ut bellè ait Sinnichius libro supra citato §. no. Quid perniciosius, quām forum iudicationis verti in forum nundinationis, emungi à Iudicibus crumenas divitium, arceri prætentiones pauperum? Cū enim hi non habeant quid retribuant, in causa probabili cadent in totum; in causa dubiabilis, differentur in ærum, aut quod pejus est,*

*judicium subibunt in iustum. Unde Isidorus lib. 3.  
cap. 52. loquens de Judicibus iniquis, sic  
ait: Gravius lacerantur pauperes à pravis Iudi-  
cibus, quam à cruentissimis hostibus. Nullus  
enim prædo tam cupidus in alienis, quam Index  
iniquus in suis. Latrones inaccessis faucibus ac  
latebrois latentes, insidias ponunt: isti palam  
rapacitatem avaritiam saviant. Hostes in alienorum  
tantum sanguinem intendunt; Indices quasi cru-  
delissimi carnifices ciuium, oppressione sua sub-  
jectorum vitam extinguit.*

## ARTICVLVS VI.

*Vtrum authoritas unius tantum Doctoris  
sufficiat ad reddendam opinionem in mate-  
ria morali probabilem, & in praxi tutam?*

105. **A**FIRMANT communiter recentiores Casuistœ, qui (ut recte observavit Joannes Sinnichius libro supra citato §. 354.) in mutuas crebro solente excurrere laudes, sibiique invicem accinere: quod eo fine factitate videntur, ut majorem sibi invicem autoritatem concilient, siveque suis opinionibus probabilitatem comparent. Cū enim duplex ab eis distinguantur probabilitas, intrinseca scilicet seu rationalis, que sumitur à ratione; & extrinseca seu authentica, que petitur ab authoritate; ubi vi-  
dent deesse suis commentis primam, student pro-  
curare saltē secundam; atque ob hunc finem  
prorumpunt in mutuas laudes, ut quisque eo-  
rum suum laudatorem directe laudando, laudet  
seipsum, saltē reflexè, siveque suis opinionibus  
umbram quandam probabilitatis ab authoritate  
procuret, quam denegari cernit à ratione.

Id declarat idem Author exemplo Caramuelis & Diana, quorum prior in quadam ad pos-  
teriorē Epistola, p̄ludio Theologiae funda-  
mentali inferta, hac ei scribit: *Quia longissi-  
mè absūm ab omni adulatio[n]is genere, patere u-  
aliquid liberius & sincerius scribam. Laudant te  
& legunt viri docti, nec est in Europa Theolo-  
gus qui sit studiosus, & te careat: si qui obmu-  
raverint, docti non sunt, & tota oblocutio  
emulorum peruenit ad columnas Herculeas, cūm  
dicunt Diana esse agnum Dei, qui abstulit pec-  
cata mundi. Addit præterea in eadem Epistola de  
codem agno Dei: Ceri sumus tanto illius dog-  
mata Theologorum firmari numero, ut querenti  
an hoc vel illud liceat, sufficiat respondere,*  
DIANA DIXIT.

106. Porro quid Diana vicissim de Caramuele scri-  
perit, diligenter ab eodem ipso Caramuele  
collectum habetur ad calcem ejusdem Epistole,  
ubi sic legitur: *Ut videat Lector Caramuelum  
etiam redamari à Diana, has punculas lineas  
subiungo. Igitur parte 7. tract. 11. resol. 1. sic in-  
quit Diana: [ Nota Lector, quod in tui gratiam  
multas opiniones supra dicti Caramuelis addu-  
cam, quia ejus codex non ita facilè invenerit: &  
licet aliquando ejus opinionibus non adhæream,  
semper tamen illum honoris causā nominatum esse  
volo; est enim vir doctissimus, & acutissimi ingenii,  
& ut alias dixi, non solum scholasticæ & mor-  
alis Theologie, sed etiam portionis litterariorum  
peritissimus. Et utinam amicissimus vir alios felic-  
es ingenij sui fatuus in lucem pariat, &c.]*

Ex quibus patet illos Authores, ut majorem  
sibi invicem authoritatem concilient, se invi-

A cem laudare, seseque (ut loquitur idem Sinnichius) murū scabere, juxta vetus illud adagium ab Erasmo chil. 1. cent. 7. cap. 95. relatum: MVTVM MVL SCABVNT. Quod etiam notavit, & defecatus est Episcopus Gandavensis, in Epistola ad Clerum suo diocesis, in qua de novis illis Casuisticis, & laxioris Ethices inventoribus, sic ait: *Hi non solum corrupta nature pririentes aures blanditijs suis demulcent, sed & MVTVO SCABVNT, atque de adinvento aliquo vitijs pre-  
textu, tanquam de novo cœli tramite reperio, sibi invicem gratulantur & applaudunt. His p̄mis-  
sis: pro resolutione difficultatis propolite, sit*

## §. I.

*Conclusio negativa statuitur.*

D Ico igitur: Unius tantum Doctoris suf-  
fragium seu authoritas, communiter lo-  
quendo, non potest reddere opinionem aliquam  
probabilem & in praxi tutam.

Probatur primò ex Aristotele 1. topic. cap. 1.  
sic dicente: *Probabilia sunt que videntur omni-  
bus, aut pluribus, aut sapientibus, & his ma-  
xime notis: Sed que uni soli videntur, non vi-  
dentur pluribus: Ergo quæ uni soli videntur,  
communiter loquendo, probabilia non sunt.*

Probatur secundò ex D. Thoma quodlib. 3. su-  
pra citato art. 10. ubi ait: *In his que pertinent  
ad fidem, & bonos mores, nullus excusat, se-  
sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri:*  
At si communiter & universaliter loquendo,  
unius Doctoris suffragium efficeret opinionem  
probabilem, & in praxi tutam, qui in rebus dubiis,  
ad fidem aut bonos mores spectantibus,  
erroneam opinionem alicuius Magistri se-  
queretur, excusat à peccato, praesertim  
juxta novorum Casuistarum principia, docen-  
tium omne probabile, probabilitate quantum-  
vis tenui ac debili, à peccato excusare: Ergo  
juxta D. Thomam, unius tantum Doctoris suf-  
fragium non potest, communiter & regulariter  
loquendo, reddere opinionem aliquam proba-  
bilem, & in praxi tutam. Unde Laetantius su-  
pra relatus: *Ne trahamur auctoritate cuiusquam,  
sed veritati potius faveamus & accedamus. Nu-  
llus hic temeritati locus: in eternum futura pœna  
subiecta est, si aut persona inanis, aut opinio  
falsa decepitur. Ex quo infert Joannes Sinnichius  
§. 357. intolerabilem esse illam Caramuelis  
adulationem supra relatum: Quare an hoc aut  
illud liceat, sufficit responderem DIANA D.XIT:  
Neque enim (subdit ille) in schola Pythagoras  
deginus, sed in schola Christi, qui nequamquam  
dixisse prohibetur, EGO SVM PROBABILITYS,  
sed, EGO SVM VERITAS. Hujus magisterio di-  
dicimus aritudinem via deducentis ad vitam,  
& latitudinem via deducentis ad mortem. Porro  
quod hujus magisterio didicimus, verum esse non  
ambigimus. Proinde quantumvis Diana molia-  
tur viam cœli dilatare, vel viam perditionis an-  
gustare, non ei credimus, sed Christo potius ac-  
quiescimus, assveranti illam est arcam, istam  
vero spatiōsam. Qui enim illam predicavit arcam,  
& istam spatiōsam, Deus est, legifer est, veri-  
tas est: Diana, quantumlibet à Caramuele lau-  
datu, homo purus est, legifer non est, veritas  
non est.*

Probatur tertio conclusio ab inconvenienti,  
quod sequitur ex adversa sententia: Si enim  
unius viri docti & probi authoritas sufficeret ad